

Cartulaire manceau de Marmoutier, Arquenay, Nr. 5

Ego Guillelmus, ecclesie Cenomanensis episcopus, omnibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus quod querelas quas Guillelmus, prior de Erkeneio, adversus Guidonem de Lavallo habebat super talliata quam Guido volebat habere in terra de Belveher, pro qua boves eius ceperat et eos priorem XVI solidis redimere fecerat, hac compositione sedavimus, quod scilicet prior de Mota Merleti domum quam reclamabat Guidoni quittavit, et Guido gagiavit reddere priori XVI solidos, quos de redemptione boum pro predicta talliata ceperat, necnon et talliatam, quam in terra de Belveher querebat, priori et successoribus eius in perpetuum quictam dimisit. Hoc autem actum est apud Ambrerias ante nos, sub presentia et testimonio Philippi, abbatis Clarimontis, Eustachii archidiaconi, Yvonis magistri scholarum, Iusheli de Meduana et filiorum eius: Gaufridi, Gauterii, Hamelini; Herberti de Borno, [Rueloni capellani Guidonis, Lisiardi de Lavallo decani, Adam de Basogers decani, Adam de Ebrone decani, Herberti de Passeio decani et aliorum multorum]. Nos quoque ut illud notum haberetur, sigilli nostri attestacione confirmavimus et munivimus.